DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

1271

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS IV. JANUARII.

M. GABRIELE DACQUET, Doctore Medico, Præside.

An Venus Hysterícarum medela?

HYSTERICARUM Mulierum tria genera. Aliæ melancholiâ eroticâ laborant; aliæ furore uterino vexantur; aliæ uteri strangulatu. Melancholia erotica delirium est meticulosum mœstumque ex amore natum. Nimirùm fœminæ amoris œstro percitæ læsa imaginatio objecta quæque spernit, utAmasij, quem formosum & elegantem putat, specie pascatur atque delectetur. Quia verò in eâ cogitatione defixa mulieris imaginatio coctionis administrum & opificem spiritum dissipat, hinc nullâ coctione ritè procedente, plurima excrementa coacervantur, unde ut plurimùm sanguis per menstrua non respondet, & corpus infeliciter nutritur, ac proinde larvali macie deformatur; propè est ut vix caro ossibus hæreat, ipseque vultus olim florido vividoque colore decorus, exangui quodam pallore fœdatur. Fœminam melancholiâ eroticâ corteptam, buxeam diceres, ni, cùm de Amasio mentio fit, leviter pudor ora purpuret, suspiriumque furtim obrepens, & pulsûs conditio ignem fateatur. Furor uterinus vel Mitromania delirium est violentum, quod effrænata vis amoris peperit, seu est ipsa melancholia erotica, quæ tractu temporis ferocior evasit. Scilicet imaginatio, quò plus in re amatâ occupatur, eò magis ægrescit, sibique amoris spicula altiùs infigit, ut tandem rationis jugum excutiat, eique non amplius auscultet. Sic amore delusa mulier, inopsque rationis, pudoris omnia jura resolvit, nihilque loquitur aut agit quod cæcam non redoleat, quâ carpitur, flammam. Tantus est impetus furiati amoris, ut eo incensæ Mileſiæ virgines sibi laqueo necem intulerint; aliæ veluti pestilenti sidere afflatæ se in flumina præcipites dederint; aliæ in puteos desilierint. Strangulatus uteri est melancholia erotica cum apnœâ, & comate, vel spasmo conjuncta. Ipse uterus inardescens, rugis, quibus contrahitur, extentis, adeò intumescit, ventremque distendit, ut, quidquid imposueris, eum non deprimas. Sic diaphragma premit, & respirationem adimit. Tùm muco quem continet rarefacto, tetram auram ad cerebrum exhalat, quæ spiritus obnubilat & consopit, stâque malignitate nervos percellit. Quidni efferatus uterus serosam in vasis stagnantem illuviem & cruda menstrua in cerebrum impellit, quæ copiâ nervos obturando soporem, vel acrimoniâ vellicando oculorum strabismum, dentium stridorem, oris torturam, & aliarum partium anonymam convulsionem inducunt? In strangulatu suo uterus non ascendit nec descendit; dùm laxatis ligamentis prolabitur uterus, nihil comatosum aut epilepticum accidit; ideò nec quidquam simile contingit, si sursùm irrepat, quod supra captum cogitationis est, & si sursùm assurgeret, servatis quibus contrahitur rugis, abdominis molem non amplificaret, nec diaphragma opprimeret, quod in strangulatu uteri semper accidit. Cùm suffocatio hysterica comatosa est difficiliùs curatur, facilius si sit epileptica; sed discrimen impendet ne epilepsia sympathica tandem idiopathica evadat. Ad ultima ventum est cùm strangulatus uteri in apoplexiam syncopenve degenerat: illum ab hisce duobus sic distingues; in strangulatu uteri diapnoe respirationis loco est, in apoplexia anima: stertendo trahitur in strangulatu uteri pulsus est parvus & languidus, in syncope nullus.

IMMANE quantum natura muliebri utero seminis virilis desiderium insevit. Illud vix ratio moderatur: hinc plurimæ Quartillæ, plurimæ Messalinæ, Juliæ plurimæ: omnes fœminæ, ne contra se facies imperiosa sua sit, pulchritudinem philtrum naturale & potentissimum non modò arte cosmeticâ, sed & commoticâ efficaciore tuentur & custodiunt, quæ aliàs exigui temporis tyrannis est: ipsa natura quasi sui lena quò speciali, quem mulieri indidit, seminis virilis ardori satis fieret, eam tantâ venustate insignivit, ut non vir habeatur, sed effœminatus qui fœminæ non servit; eandemque qui monstrum putat, ipsemet monstrum sit. Cùm semen virile muliebris uterus tam sitienter appetat, non mirum si ejus defectu hysterica Symptomata prodeant. Horum causam qui unam seminis retentionem putat, hallucinatur; cogitet potiùs quàm providè natura consuluit, ut nihil sola fœmina generaret, ne molarum pondere hæc rerum universitas obrueretur: adde quod, si semen retinetur, id nec quantitate, nec qualitate peccat, nec ideò quidquam incommodi affert, sed partes, quibus continetur, alit. Si à mulieribus uteri strangulatu epileptico corteptis sub patoxysmi decessu ejectum semen velut morbi causa culpandum esset, vitio daretur illud quod in viris comitiali seu sacro & herculeo morbo laborantibus inclinante paroxysmo elabitur, quod tamen periodicæ totius corporis convulsionis causa non est, cùm infantes & impuberes pueri eo affectu vexentur. Nec Hysstericorum symptomatum altera causa existimanda est menstrui sanguinis suppressio; plurimæ, quibus menstrua non feruntur ab hystericis affectibus immunes vivunt; plurimæ à menstruorum profluvio in uteri strangulatum incidunt, quasi semen virile ardeat uterus magis eo tempore, quod conceptioni aptissimum est; fieri tamen potest ut menstrua suppressa hysterica symptomata graviora efficiant, sed hæc producere non possunt per totum vitæ curriculum statâ periodo reditura, cùm menstrua continuò suppressa citò jugulent, vel ne minimùm quidem incommodent.

QUAMVIS horrenda hysterica symptomata sint, sunt tamen curatu facilia, cùm his Venus medeatur. Hæc natutale remedium est, quod seminis virilis, quo æstuat uterus, ardorem compescit. Quam nubilem virgunculam, cujus medullas mollis flamma urebat, vidisti decolorem, macram, veternosam, taciturnam, eandem vinclo sociali jugatam intuere, videbis non amplius lucido colore infectam, sed roseo perfusam, non exuccam & aridam, sed succosam & opimam, non vultuosam & tetricam, sed lætam & hilatem, non taciturnam, sed sale, lepore, & festivitate dicendi omnibus arridentem. Nuptæ quæ hysteticæ sunt magnâ ex parte sponso id debent, qui somnos præmia magna vocat, cuique uxor laboriosa nimis possessio est. Viduæ, cui carere quibus assuevit arduum, si quando furiatur uterus, primus amor novi usu oblivisendus est: nihil homini homine similius; nec id mariti manes curare credat; si alteri viro nubat, citiùs multò sanescet. Nubili puellæ idem si contingat, sponsus adsit cui connubio jungatur stabili; tale proponenti ægra virguncula libenter obtemperabit, imò vix differri patietur quod placebit. Ideò cum fœminis hystericis, quarum devota castitas est, longè infeliciùs ageretur, ni ipsis ratio honesta momenta suggereret, quibus uteri ferventis æstum temperent; at hæc sanatio Philosophum moralem, non Medicum sensibus addictum spectat.

QUOCUNQUE victu utetur hysterica, seminis virilis naturale desiderium vix reprimet. Cupidinis omnia plena sunt. Si se cibis ingurgitet, mellitæ uredini pabula & fomenta suggeret; si se jejunio maceret, sero falso scatebit, quo ad dulce Veneris opus stimulabitur. Adeò ut ingluvies ventrisque fatuitas libidinis seminarium, sic ejusdem veluti calcar esuries est. Imò jejuna quàm pasta ad Venerem alacrior; unde paupercula divite fœcundior, nihilque egestate fertilius. In jejunâ deficiens natura ad relinquendam sui expressam imaginem & spirantem effigiem vehementer aspirat. Si fœmina Syracusanas, Sybariticas & opiparas mensas, seu saliares & exquisitas dapes sectetur, fieri non potest quin venter suavioribus eduliis exhilaratus incalescat; si cupedia, popinas & scitamenta respuat, ut simplici & sine arte mensâ utatur, non minùs exinde amoris erumpentigniculi. Ex hominum communitate exterminandi Apicij hæredes, seu philtrorum conditores, eorumque guloſa commentaria obliteranda; ut opsophagia Veneris nutricula, sic ejusdem stimulatrix est frugalitas. Nullum alimentum invenire est, in quo non lateat amoris aculeus, nullum quod satyrium non sit. Nec solùm cynara hortorum Dei sceptrum est, & fulcimentum labantis amoris, nec solùm bulbi salaces sunt, nec solùm fungi edules & esculenti, vescumque tuber, quamvis semine nullo nascantur, semenque non dent, seminis morsum infligunt; sed & fructus omnes flatu lento spiritu amorem accendere valent. Perperam hactenus rutæ & cannabis semina, ut salicis & viticis folia adversus Venerem commendata; hæc menses, urinas, & Veneris appetitum excirant. Olim ne menta belli tempore sererentur præceptum fuit, non quòd in fœcundos homines efficiat, sed quia venereâ ad quam invitat pugnâ, aliam impedit. Fustrà fabulati sunt Poëtæ Venerem inter lactucas extinctum deposuisse Adonin; ipsa Narcotica geniales igniculos suscitant; nonne sterilis Rachel Mandragoram expetivit, ut dulces gnatos Veneris præmia nosset? Nonne Turcæ opio familiariter utuntur ut Veneris incitamento? Athenienſium Hierophantæ potiùs voluntatis energiâ quàm cicutæ sorbitione viros exuebant. Si Veneris hortator atque armiger liber est, pariter ejusdem insigne irritamentum est aqua; nec injuriâ Venus ex spumâ maris prodiisse fertur. Incassum olim Memphitici Sacerdotes, ne commiscendorum corporum libidine tentarentur, sale abstinebant; etiamsi ne micam salis degustemus, serum salsum erit in corpore aliquâ sui parte semini immiscendum, plurimâ verò sudore vel urinâ proditurum. Fustrà aliqui ut libidinis prurigo removeant, pani sal aspergunt; fœtifera Nili aqua, quæ nitrosa est; cineres sale referti agros fœcundant; naves sale onustæ murium feraces; salum piscibus abundat; & marini Dij olim petulantissimi habiti. Nihil generationis avida natura produxit, quod generationi non inserviat. Otia si tollas non periete arcus cupidinis; non modò amor occupatio animi otiosi, sed etiam ardua molientis; laboriosæ Musæ junctum habent Apollinem, & qui Apollinaris putatur, iæpè cupidineus pallor est; ipsi Marti quem armaret, & exarmaret Venerem Poëtæ sociarunt; nec venatricem siuoque arbitrio viventem Dianam omnibus ut Actæoni injuriam fuisse credibile est. Amori læta similiter & tristia corda patent. Somnus, qui sensûs omnes consopit, sensum Veneris non adimit, quasi natura æternitatis amans speciei propagationi semper invigilet.

UT cupidinei ardoris non remissi individua comes est melancholia hysterica, ex quâ furor uterinus & vulvæ strangulatus certâ periodo prodeunt, sic eorum recursus sisti non potest, nisi melancholia hysterica discutiatur, maximè seminis virilis extincto desiderio. Plurima tamen remedia sunt quæ hisce symptomatis urgentibus adhibentur. Injicitur clyster in quo caphura ad candelam accensa subinde extincta sit, aut dissoluti ex eâ parati trochisci. Galbanum dragmæ pondere oggeritur, aut ejus loco facilius assumendæ olei de caphurâ aut de Gagate guttulæ aliquot. Eadem umbilico illinuntur, tum etiam naribus, perdicum pennæ ustæ etiam his admoventur, tùm ut odoris acerbitate cerebrum constringant, quò hysterico halitu minus infestetur, & calore tetrum illum halitum digerant, tùm etiam ut facultatem, quæ per musculos thoracem movet, sopitam suscitent; cavendum tamen ne continuâ admotione nativum calorem refrigerij indigum perimant. Si sternutatio sponte non obrepat, arte procuratur. Cucurbitulæ femoribus affiguntur. Inter cardiaca confectiones Alkermes, & de hyacintho; quæ moschum & ambram admittunt, rejiciuntur. Mithridatium & theriaca, licet hysterici halitûs malignitatem oppugnent, tamen in immensi refrigerij necessitate immenso calore deleteria sunt. Unicum cardiacum habetur venæ sectio, eaque primùm calci adhibetur, ut ab utero vapor sanguisque ad cerebrum irrepsura detrahantur, totumque corpus depleatur, sanguine, quem partes superæ tenent, in vacuati locum accedente, ac proinde spirandi potestas detur, aut saltem diapnoe liberior evadat. Si post sectam saphænam pergente symptomatum impetu hysterica fœmina meliuscula non sit, sanguis è brachio mittitur, ut pectus cerebrumque depleantur, ne apoplexia & syncope, exitiosa symptomata accidant. Verùm heu quot ingrata remedia miſellæ fœminæ usurpanda, ut ejus semper in ancipiti, vix aliquando in vado res sint: nonne ipsi magis expediret statim mori quàm vivere si amoris violentiâ centies moriatur? Tutiùs cum illâ naturâque duce agetur, si Veneris rore uterus irrigatus deferbuerit.

Ergo Venus Hysterícarum medela.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Gallais.
M. Franciſcus Goüel.
M. Petrus Creſſé.

M. Petrus le Large, Luſitanorum Reginæ Medicus primarius.
M. Antonius Ioannes Morand.
M. Alexander Michaël Denyau, Profeſſor Regius.

M. Ægidius le Bel, Medicus unici Regis fratris ordinarius.
M. Abrahamus Thevart.
M. Franciſcus Pijart, Scholæ antiquiſſimus.

Proponebat Lutetiæ RENATUS CHAUVEL Cenomanenſis, A.R.S.H. MDCLXXIV.

P.U.P. BIBLIOTHECA